

præstitam; ex quibus tamen duo priora Lessius aperte asseruit, posterius autem silendo dissimulavit.

*Inst. 3.* Tota Scriptura sacra est vere ac proprie verbum Dei: ergo de essentia Scripturæ sacrae est, quod Spiritus sanctus omnia et singula verba dixerit et dictaverit; quia juxta S. THOM. in 1. Dist. 27. q. 2. a. 2. *De ratione verbi est, quod dicat relationem originis ad dicentem.* Sed si non omnia verba Scripturæ sint specialiter inspirata, illa nec dicunt relationem originis ad dicentem Deum, nec a Spiritu sancto sunt dictata: ergo.

*R. Ad Arg. D. A.* Tota Scriptura sacra quoad res et sententias est vere ac proprie verbum Dei, C. quoad singula verba ac voces, *subd.* est vere ac proprie verbum Dei moraliter tale, C. physice tale, N. Ad rationem verbi veri ac proprie talis non requiri physicam omnium et singularum vocum propositionem ad determinatam declarationem, sed sufficere manifestationem sententiae et generalem verborum subministracionem, ostendimus in multiplici theseos nostræ probatione; ex qua sequitur Scripturam totam habere relationem ad Deum dicentem, et dictatam esse a Spiritu sancto; et N. *Cons.*; præsertim quia D. Thomas 1. c. non tantum de verbo physico et formalí, sed etiam de personali loquitur.

*Inst. 4.* Si sententiae duntaxat inspiratae essent et non singula verba, ergo 1 non foret discriumen Scripturas sacras inter et definitiones Conciliorum in materia fidei et morum; quia et in his admittenda est inspiratio sententiarum, juxta illud Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto et nobis:* 2 una pars Scripturæ esset alia perfectior; cum alia admittatur inspirata secundum sententias et verba, alia tantum secundum sententias: 3 posset impune verbum unum alteri substitui, imo etiam negari. Atqui hæc plane absona sunt a debita Scripturis sacris reverentia et Ecclesiæ ac Doctorum sententia: ergo.

*R. Quoad primum, N. seq.* Ratio addita est falsa; cum in definitionibus Conciliorum sicut non admittitur revelatio nova, sic nec inspiratio sententiarum, sed duntaxat infallibilis ac specialis assistentia Spiritus sancti, quam unam textus Actorum evincit et communis sententia asserit. *Quoad secundum, D. seq.* Una pars Scripturæ est altera perfectior ratione auctoritatis divinæ, N. ratione verbi Divini *subd.* secundum veritatem ac proprietatem, N. secundum physicam et materiale notionem, C. ab hoc postremo tamen repeti non posse prælationem unius partis supra aliam, ostendunt argumenta in 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> probatione theseos adducta. *Quoad tertium, N. seq.* Priori enim contrarium recte decrevit Ecclesia, tum ad conservandam Scripturæ integritatem, tum ad cavendum errorem, tum ob certitudinem immunitatis ab errore scriptori sacro per Spiritus sancti assistentiam etiam in diligendis vocabulis concesse. Unde patet posterius penitus rejiciendum.

*Inst. 5.* Inter notiones seu ideas rerum et ipsa verba, queis illæ exprimuntur, tanta intercedit connexionio, ut, quamdiu animus noster corpori est alligatus, dum de rebus cogitamus, non abstrahamus a verbis, quibus res usitato sermone exprimuntur: ergo dum Deus inspiravit ipsas res et sententias, etiam verba inspiravit; nisi gratis dicamus, hanc verborum et rerum naturalem connexionem in mente sacerorum scriptorum a Deo fuisse sublatam; et præterea etiam admittamus, obvia Scripturæ verba non esse divina sed humana.

*R. D. A.* Intercedit hæc connexionio inter notiones seu ideas rerum et verba

sententiarum substantiam exprimentia, C. ad eamnam elocutionem, phrasin ac constructionem spectantia, *subd.* generalim et confusum, T. speciatim et determinate, N. Contrarium objectionis non tantum ex regulis de inventione, dispositione ac elocutione Rheticis liquet, sed et ex quotidiano memoriae et reliquarum intellectus potentiarum experimento.

*Ad probationes Conseq.* Imprimis nego gratis aliquid a nobis hic asseri; deinde ex dictis nego connexionem naturalem a Deo subverti; denique quamvis concedam verba Scripturæ plura secundum rationem physicam esse humana, quod de omnibus in versione vulgata admitti debet a Catholicis omnibus; scriptoribus tamen sacris non neganda est ratio organi Spiritus sancti, neque verbis aliquid Divini, quatenus illi scripserunt sub Spiritu sancto impellente ad scribendum, inspirante sensu omnes conscribendos, suggerente quandoque ipsa vocabula, saepius autem illorum delectum et compositionem relinquente, simul tamen generatim ac confuse verba subministrante, ac præterea specialiter invigilante, ne circa delectum illum aut eam compositionem, sensus inspiratos minus recte exprimendo, delinquerent.

*24. Observa.* Divine auctoritati Scripturæ et inspirationi scriptorum non obstat 1º relatio blasphemiarum, mendaciorum, aut scelerum perpetratorum; quia aliud est hæc dicta vel facta fuisse Deo inspirante, quod negamus; aliud hæc dicta vel facta scelerata fuisse scripta ex Dei inspiratione, quod unum affirmamus: nec 2º effusio sacrorum scriptorum in maledicta et imprecations, qualia in Psalmis et Libris Job et Prophetarum occurunt, quia hujusmodi vel continent prophetias, vel ex zelo sancto contra peccata prodierunt, vel si etiam ex odio aut alia prava affectione ortum duxerunt nihilominus a Spiritu sancto inspirari poterant, ut ex nota Joan. 11. v. 31, ad sententiam Caiphæ adjecta manifestum est: nec 3º sive narratio sive propositio rerum levissimarum, qualis illa de cane Tobiae, de penula Pauli, de modici vini usu Timotheo præscripto est; non enim hæc tam levia sunt, cum gravia morum documenta contineant, ut videre est apud Interpretes: aut si etiam levia esse concedantur secundum humanum captum, ea tamen non sunt secundum inscrutabile Dei consilium considerata, prout S. Hier. in præf. ad ep. Philem. et alii Patres ostendunt.

## ARTICULUS IV.

*An et quo sensu Vulgata versio sit authentica?*

*25. Nota I.* *Authenticum* a græco αὐθεντία, quod auctoritatem denotat, nomen habet; ideoque idem sonat, ac auctoritate munitum. Vocem hanc Theologi mutuati sunt a Jurisperitis, quibus scriptum authenticum dicitur scriptum supremæ auctoritatis, quod adeo fidem facit in judicio, ut rejici a nullo aut vocari in dubium debeat. Scripta quæ rationem authenticæ participant, vel sunt autographa seu originaria; et hæc per se, magis proprie ac stricte sunt authenticæ: vel sunt apographa seu exemplaria; et hæc proprie quidem, sed minus stricte authenticæ sunt; cum talia non sint per se, sed quatenus cum autographis convenient: vel sunt translata seu aliam in linguam versa; et hæc latiore adhuc significatione dicuntur authenticæ;

quatenus nempe cum textu scripti authentici primitivo concordant, ex quo seu fonte fuerunt traducta.

Authentia altera est intrinseca, altera extrinseca. *Intrinseca* in autographis ea est, quæ scriptis hujusmodi convenient ratione sui et auctoris; in apographis autem et translati, quæ a convenientia cum autographo habetur. *Extrinseca* est, quæ ex aliis rationibus fidem facientibus accedit, qualia sunt sigilla, testimonia etc. Hæc si declarata est per sententiam Magistratus legitimi, dicitur *Judicialis et explicita*; si non, sed usu tamen confirmata aut aliunde admissa, *vulgaris et implicita* vocatur. Prior, scilicet intrinseca, potest esse sine posteriori seu extrinseca; facitque scriptum præcise authenticum quoad se: posterior nequit esse sine priori, facitque authenticum etiam quoad nos.

Utraque subdividitur in absolutam seu omnimodam, et respectivam seu partiale. *Absoluta* in translati exigit convenientiam versionis cum autographo tum quoad substantiam seu partes principales scripti et res aliquas momenti, tum quoad accidentia seu partes minus principales et res levioris momenti; imo et quoad claritatem, vim et elegantiam textui originali propriam: *Respectiva* vero non extenditur ad hec omnia, sed in uno aut altero deficit.

**26. Nota II.** Pars prima quæstionis propositæ controvertitur Catholicos inter et Acaholicos, atque ad dogma pertinet. Quamvis enim posteriorum non pauci sint, qui vulgatam nostram a fide, judicio et auctoritatis subsidio commendent; id quod Theod. Beza in pref. ad N. T., Conr. Pellicanus in pref. ad Psalm., Paul. Fagius Paraphr. Chald. C. 4., Lud. de Dieu in pref. Notar. ad Evang., Hug. Grotius in pref. Annot. V. T., Brian. Waltonus in Prolegom. 10., aliquique liberaliter fecerunt: omnes tamen eam negant authenticam. Altera quæstionis pars *salva fide* etiam inter Catholicos agitat. Consensu quidem communi una ex parte illi statuunt, versionem vulgatam neque per malitiam interpres ullibi, neque per oscitantiam ejusdem in partibus saltem principalibus a veritate Scripturæ originalis deflectere; et altera ex parte negant, claritatem omnem, vim et elegantiam originario textui propriam, semper et ubique a vulgata exprimi: differunt tamen, dum alii hanc translationem ne in minimis quidem circumstantiis et partibus accidentalibus ac rebus levissimis ab autographo discedere contendunt; alii autem id negant, et authenticam versionis respectivam ad substantiam tantum et partes principales restringunt.

**27. Nota III.** Porro substantiae et partium principalium nomine potissimum hic intelligitur doctrina fidei et morum: quorsum tamen referuntur etiam historiæ, facta et dicta quæcumque, sive quæ credere, agere aut scire jubemur, sive quæ ab omnibus ob concordiam versionis cum textu primitivo comprobantur. Cæterum via probandi in hac controversia sententiam duplex est; altera longior, comparando scilicet textus vulgatae cum textibus fontium, quam hic a nobis suscipi nemo exigit ob ea, quæ in præloquio insinuavimus: alia compendiaria, afferendo scilicet argumenta generalia, quam nunc ingredimur.

**28. Dico I.** Vulgata versio Latina est authentica. *Prob.* Versio illa Scripturæ est tam intrinseca quam extrinseca authentica, quam Ecclesia Dei ut authenticam et usu ipso probavit, et aperto decreto declaravit; si enim in re tanti momenti falleretur aut falleret Ecclesia, illi nec promissio CHRISTI Matth. 16. v. 18., nec Elogium PAULI 1. ad Tim. 3. v. 15. congrueret: sed versionem vulgatam Ecclesia Dei et usu et decreto probavit ut authenticam: primum enim disertis verbis testantur Greg. M. in pref. ad Lib. Mor. C. 3., Isidor. L. de Offic. C. 12., Hug. Victorin. L. de Script. C. 9., et Patres Tridentini in decreto proxime laudando; facto autem confirmarunt tum Beda, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus, Petrus Damiani, Anselmus, Bernardus, D. Thomas et alii in hanc versionem commentati, tum Patres, Doctores, et fideles reliqui in Conciliis, Ecclesiis, Scholis, domi ac foris eidem per plura secula assueti; secundum constat ex TRIDENTINO Sess. 4. in Decreto de Edit. et usu sacr. librorum ita statuente: *Insuper eadem synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesie Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel præsumat.* Ergo.

*Confirm.* I. Ex testimonio PATRUM. De Vet. quidem Testamento HIERONYMUS in ep. 11. inter Augustinianas, in Prologo Galeato et Præfationibus ad Pentateuchum, libros Règum et Paralip., Esdram et Estherem, magna confidentia provocat ad Hebreorum judicium; quod etiam huic versioni ac emendationi omnino favisse, Aug. L. 18. de Civ. C. 43. testatur. De N. T. AUG. sic ep. 10. scribit: *Proinde non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex græco interpretatus es, cum scripturam græcam contulerimus. Unde si quispiam veteri falsitati contentiosius faverit, prolatis collatisque codicibus vel docetur facillime, vel refellitur.* De utriusque tandem versione nova GREG. M. L. 20. Mor. C. 3. ait: *Cuncta verius trans fusse perhibetur; et credendum est quidquid in ea dicitur.*

II. Ex dotibus ipsius versionis. Differentiæ, quæ in V. T. sunt inter Hebraicum Græcum et Latinum, vel sensum non mutant, vel ad doctrinam fidei et morum non pertinent; ut in Scriptura dogmaticæ et polemice explicata et typis hujatibus exscripta ostenditur: in N. T. autem vel nullæ sunt differentiæ, cum lectiones vulgatae in controversiam adductæ nunquam careant consentientibus secum codicibus græcis, vel rursus in sensu aut fidei morumque doctrina non est discrepantia; ut ex Novo Testamento græco cum variantibus lectionibus nuper Moguntiæ edito manifestum est.

III. Ex dotibus S. HIERONYMI, e cuius vel interpretatione vel emendatione nata est versio vulgata. Is enim imprimis præter latinam expertissimus erat linguarum Orientalium, et ingenio præstantissimus et scientiis instrutissimus; quas illi doles vel ipse Erasmus in sua ad Gulielmum Cantuariensem nuncupatoria epistola tribuit: dein exemplaria tum hebræa tum græca habuit emendatissima; ut ex Augustini L. 2. de Doctr. Chr. C. 45. et ex ep. Hieronymi ad Suniam et Fretel. facile colligitur: denique quanta in hoc negotio desiderari potuit, fidelitate et industria est usus;

ut ex illius moribus, vitae sanctitate, aliorumque de eo aestimatione recte infertur.

IV. Ex absurdo. Cum alias Ecclesia Latina, toto diffusa orbe, pluribus seculis Scriptura caruissest authenticā.

29. *Objic.* Versionem Scripturā declarare authenticā est eam declarare divinā : sed Ecclesia non potuit declarare Vulgatā esse divinā ; cum facta sit ab homine, nec inspirata divinitus dici queat : ergo.

R. D. M. Versionem scripture declarare authenticā est eam declarare divinā quoad argumentum et rem significatam, C. quoad idioma et modū significandi, *subd.* est eam declarare divinā formaliter, seu divinitus inspiratam, N. equivalenter, seu divinitus inspiratē conformem, C. Quae (num. 23.) de authentia translatorum diximus, multo magis intelligenda sunt de divinitate eorumdem, secundum immediatos auctores spectatorum.

*Inst. 1.* TRIDENTINI decretum, authentiam præ versionibus aliis Vulgatæ tribuens, nullius videtur auctoritatis : quia 1. est inutile versionem unam præferre alteri : 2. quia est imprudens, cum nulla fuerit ratio hujus preferentie : 3. quia est indignum, cum probando Vulgatā probari simul mendas in ea cubantes. Ergo et authentia Vulgatæ, quæ decreti auctoritate nititur, etiam nulla est.

R. N. A. et prob. Falsitatem primæ fatentur ipsi Heterodoxi, qui versionum multitudinem improbant, et ab ea fidei periculum imminere agnoscunt, ideoque tanquam rem utilē et necessariam optant, ut una aliqua versio auctoritate publica gandeat, cui omnes acquiescere teneantur. Quod cum Theod. Beza in præf. N. T. exposuisset, monet Reges ac Principes, *nihil habere antiquius, quam ut utriusque Testamenti interpretatio semel edetur, cujus quoad fieri posset, sacra et inviolata esset auctoritas.* Falsitatem secundæ, præter dotes ipsi versioni intrinsecas demonstrat ratio a Tridentino his allata verbis : *quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est.* Falsitatem tertię refutat præceptum Concilii de emendata vulgata impressione eidem decreto adjectum : qui enim emendatam impressionem imperat, adeo mendas non probat, ut potius positive reprobet.

*Inst. 2.* S. HIERONYM. imprimis non est partim auctor Vulgatæ; quia in libris, quos ex Hebræo vertisse dicitur, Vulgata non exhibet illa, quæ ab eodem in QQ. Hebraicis, lib. de opt. interpr. genere, et Commentariis ad Prophetas et Ecclesiasten notata fuerunt : deinde nec est partim emendator; quia in aliis, quos idem emendasse perhibetur, nulli apparent obeli aut asterisci, quos tamen editioni sua additos ipse testatur; denique licet utroque titulo vere gauderet; non erat tamen *theopneustos*, adeoque more hominum falli aut fallere poterat. Ergo versio illius authenticā esse nequit.

R. *Ad primum N. Ass.*, quod ratio adjecta minime probat; cum idem auctor ob multiplicem significandi vi in variis scriptis variam eidem vocabulo significationem dare possit : quod dum in Hieronymi versionibus accidit, Ecclesia censuit retinendam expositionem Scripturā ab illo vulgatae versioni insertam, quantumvis ab alia in aliis operibus abeuntem.

*Similiter ad secundum N. Ass.* Nec id addita probatio evincit; tum quia in translati ex Hebræo nullam HIERONYMUS facit mentionem asteriscorum, ut ejus in Jobum prefatio ostendit; tum quia asterisci et obeli, versis ex græco

adjecti, vel librariorum incuria perierunt, vel studio forsitan abjecti sunt, ad lectionem scilicet planiorē reddendam.

*Ad tertium. T. A.* cum non desint, qui Hieronymo, ne erraret, speciale Spiritus sancti auxilium datum affirment.

D. Cons. Versio non est authenticā, ut est privati interpretis, C. ut est approbata usu et decreto Ecclesiastico, N.

30. *Dico II.* Tridentinum duntaxat declaravit, vulgatā esse respective authenticā, scilicet in his, quæ ad fidem et mores pertinent.

*Prob. I. Ex verbis decreti.* Tridentinum declarat versionem illam esse authenticā, quæ longo usu in Ecclesia probata tum temporis circumferebatur: sed haec non absolute, sed dicto tantum modo respective, authenticā erat; ut ex ejus correctione jussu Sixti V. et Clementis VIII perfecta, manifeste constat : ergo non declaravit authenticā, nisi respective ad doctrinam fidei et morum.

*II. Ex objecto decreti.* Idem est objectum decreti declarantis authenticā Vulgatā, quod erat objectum decretorum de canonicis scripturis earumque usu et interpretatione; quia propter ista vulgatā editionem auctoritate munivit : sed omnium istorum objectum unice pertinebat ad fidem et mores; nam primum decretum sic inchoatur : *Sacrosancta Synodus hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod D. N. J.-C. proprio ore primum promulgavit, deinde per Apostolos tanquam fontem omnis salutaris veritatis et morum disciplinæ omnī creature prædicari jussit; perspicie, quæ hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, etc.* Idem hac finitur clausula : *Omnis itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniosis ac presidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.* In secundo autem decreto post declaratam Vulgatā authentiam hæc adduntur : *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudenter innixus, in rebus fidei et morum ad cedificationem doctrinæ christiane pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, aut contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audeat.* Ergo.

*III. Ex scopo decreti.* Scopus Tridentini vulgatā decernentis authenticā erat, habere regulam certam pro dogmatibus definientib[us] et instaurandis moribus, reprimere hæreticorum audaciam ad alias versiones recurrentium, et cohibere Catholicorum nimiam corrigendi licentiam; ut tum ex clausula nuper laudata, tum ex Pallavicini Histor. L. 6. C. 12. perspicitur : sed ad hunc scopum sufficiebat, vulgatā declarari authenticā in iis, quæ ad fidem et mores pertinent : ergo.

*IV. Ex acceptione decreti.* Auctoritatē a Concilio Vulgatā adscriptam non esse accipiendam infinite, sed definiri limitibus doctrinæ fidei et morum, docent 4º Theologi huic Concilio præsentes; inter quos And. Vega L. 2. de Conc. Trid. C. 9. scribit, Vulgatā tantum declaratam authenticā, quatenus nullo sit deformata errore, ex quo perniciōsum aliquod dogma in fide aut moribus colligi queat; testemque laudat Card. Cervinum Pontificis tunc in Concilio legatum, postea P. M. Marcellum II. appellatum, qui id